

Matth. 15. bis. & vobis, ite potius ad vendentes. Sic ait Sanctus Pater: Tantis terror, & tanta exinanitio erit in die iudicii, ut etiam illi, qui oleum misericordie se intelligunt abundantius preparasse; metuant, ne eis possit, ad omnia peccata remittenda sufficere.

290. Tercio, Quomodo magni Reges, fortissimi Principes, in tanta pressura, in petris montium refugium quaerunt? cur non potius subditos suos comparant, & exercitus armant, & ad praelia convocant? Per has montium cavernas intelligit Joachimus Abbas, Monasteria, ac cubicula Monachorum, in eis enim, in suis laboribus, ac molestiis, potentes saeculi refugium inveniunt; sic ait Praefatus Abbas: Possimus per speluncas, accipere secreta, quae resana erunt, Monachorum cubicula; per petras vero montium, spirituales viros, fidei everfione robustos, ad eos confugiunt multi poenitentiam accipienturi.

291. Quarto, Aretas per Reges, & principes, intelligit Satanam, qui Princeps hujus mundi est dictus; per servos, & liberos, minores Daemones interpretatur; & cur se abscondunt in speluncis; & montes deprecantur, ut supra ipsos cadant? intentant, sic occultati fugere a ventura ira. Citat. Episcop. Caesariensis. Tunc dicitur, quod studeant, incitare montes potentes, ut super se cadant; quo occultentur; designant enim, quod fugere cupiant supplicium, quod super ipsos manentur a Christo. Hoc autem non sic est intelligendum, quod hic per aera degentes ante iudicium poena inferni non afficiantur; a primo instanti, quo a caelo ceciderunt, tormentis vexantur; sed dicitur, timere eos supplicium, quod in ipsos a Christo infligendum est; quia ab eo loco excluduntur, ex quo valeant, tentationes, ac molestias inferre hominibus; quod gravissimum erga eos est tormentum; ut testatur Divus Thomas in cap. 8. Matth. Magnum tormentum reputant Daemones, quod non possint hominibus nocere; sed si essent in inferno, non possent ira nocere; & ira tormentum magnum est, irritare in infernum.

D. Thom. Tanto impetu, ac conatu fertur diabolus ad tentandum, quod potius eligeret, omnino perire, ac non esse, quam non tentare, ac non nocere. Valde nota est historia Tobiae, qui cum esset juxta fluvium Tygrin, ecce piscis immanis exivit, ad devorandum eum. Tobiae 6. num. 2. Piscis, dum exit ab aqua, omnino perit quomodo ergo piscis iste audet, se erigere, & caput levare extra aquam, in quo erat ejus mors, & certus interitus? Hic piscis, Auctore Beda, Symbolum erat Diaboli, ab ejusque ingenio movebatur, qui tam avidus erat ad praedam, quod elegit, extra proprium elementum cum magno vitae suae discrimine erumpere, ut Tobiam apprehenderet, & in fluvium de mergeret aptius judicans perire, quam in hominem non saevire; Hoc Diaboli ingenium notavit D. Hieronymus, ad illa verba Isai. 9. num. 5. Vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem, & cibus ignis. Ubi de Demone loquens ait; Quibus si optio detur, magis eligent perire quam praedam perdere.

292. Nullum gravius tormentum diabolo, quam non tentare. Conveniunt Theologi in 4. sentent. d. 45. &c. pat. quaestione 64. artic. 4. Multos daemones in medio aere inter caelum, & terram cruciari; Tamen in quaestione statim vertitur, cur talis locus illis sit assignatus ad supplicium, qui potius in imis terrae visceribus obruendi videbantur? Varii sunt Theologorum rationes; illa tamen maxime ad rem praerentem, ut diabolus constitutus inter justos, sentem, ut diabolus constitutus inter justos, qui jam triumphant in patria; & etiam inter eos, qui adhuc in via peregrinantur, utroque invidia torquetur; maxime cum suis tentationibus non valeat, superare, ac opprimere. D. Bern. Divus Bernardus sermone 54. in Cantic. Diabolus, ait, in panam suam; locum in aere medium inter caelum, & terram sortitus est, ut videat, invidet, ipsa invidia torquetur. Et paulo post Considerans diabolus, tanquam Montes Geboc, omni rore destitutus, cum reliqui in circuitu montes caelestibus imbribus secundentur; Quam miser, ait, cum suspicit caelos, in quibus innumeros montes inveniunt, divina claritate fulgentes! Quam miser, cum respicit terram, montes quamplurimos de populo acquisitionis habentem? cum quanto putamus dolore aspiciat illos cupidissimus gloria, istos in circuitu suo tam gloriosos montes; cum suos in regione inclusos, tenebrosos, bonis omnibus infacundos despiciat. Divus Bernardus haec scribit ad invidiam Daemones? Ego vero refero ad magnum illius tormentum cum non valeat tentare eos, qui sunt in caelo, utpote tentationis expertes; nec tentamenta ejus aliquid proficiunt contra justos in terris, si a gratia Christi protegantur, ac corroborentur.

Apoc. 6. n. 16. Et dicunt montibus, & petris; cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira Agni. Quoniam venit dies magnus irae ipsorum; & quis poterit stare?

VERSIONES.

Arabic. n. 16. Abscondite nos a facie ejus, qui sedet super thronum. Occumen. Occultate nos. D. Cyprian. A conspectu sedentis super thronum. S. Prosper. Syriac. n. 17. Dies magnus ille ira Arabicus. Magnis illis dies ipsius; & quis est, qui possit consistere. D. Cyprian. Quoniam venit dies interfectionis. Occumen. Et quis potest, salvus fieri.

EXPOSITIO X.

Ad dicunt montibus, & petris: cadite super nos: Fit hic allusio ad illa verba Christi D. Luc. 21. num. 30. Tunc incipient, dicere montibus, cadite super nos. Quod indicat magnam afflictionem, ac tribulationem illorum hominum. Abscondite nos a facie sedentis, id est, Dei omni potentis quem etiam infideles recognoscunt; nam tot, tantisque calamitatibus vexati, ex relatione iustorum, qui talia futura praedixerunt, agnoscunt in proximo magnam venturam iram. Et ab ira Agni; scilicet Christi Domini iram Deo attribuunt, non in quantum est passio, & turbatio mentis, sed in quantum zelus puniendi, & ostendendi, & rigorem justitiae.

Quoniam venit dies magnus irae ipsorum; scilicet sedentis super thronum, & Agni, vindicis peccatorum; dies magnus dicitur more Scripturae, quo Deus aliquid magnum, ac mirabile facit; Et quis poterit? In conspectu tanti furoris, & irae. Si vero ad tempora Antichristi hoc referas, explicabis: quod quis poterit stare firmus, & constans in fide, tempore tantae adversitatis? erit enim tunc tribulatio, qualis nunquam fuit nullus sanus, nisi fuerit gratia Dei praeventus, & munirus.

QUESTIO XXXIV.

Quare extremo iudicio tantum fit mentio de Aeterno Parente, ac ejus unigenito filio Christo Jesu; nulla vero est mentio de Spiritu Sancto?

296. Cur non dicunt: abscondite nos a facie Spiritus Sancti? Clamant infelices illis, & dicunt montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, id est, Aeterni patris; & ab ira Agni; nempse Christi, cur etiam non dicunt abscondite nos a facie Spiritus Sancti? cur sicut Pater, & Filius, etiam Spiritus Sanctus; sedens iudicaturus non apparet?

297. Observavit Maldonat. Macrob. 16. num. ad illa verba: Dominus quidem Jesus, postquam locutus est, eis, assumptus est in caelum, & sedet a dextera Dei. Ait ipse Maldonatus: Animadverto autem in sacris litteris nunquam Spiritum sanctum, sed solum Patrem, & Filium dici sedere. Quod sedere, ut dixi, gubernare sit; & non Spiritus sanctus, sed Pater, & Filius dicuntur gubernare; gubernare, inquam extrinsecus; nam intrinsecus quidem animas hominum regere, Spiritus sancti proprium est. His vero addo; quod Patri tribuitur potentia, Filio sapientia; & hinc sedere dicuntur, pro nostro documento quod circumspicere, ac quieto animo, cuncta agunt, & disponunt; ideo olim iudices, non nisi sedentes, sententiam proferebant; At Spiritus sanctus est amor, qui nescit sedere, ac quiescere, sed proprium ejus est, incessanter operari. Vidi supra cap. 4. quaest. 32. n. 283, & tom. 1. in Evangel. lib. 1. cap. 6. 1. n. 9

Sylveira in Apocalypsim. Tom. I.

Ad nostram tamen quaestionem ut patet ex nostro text. In extremo iudicio solum fit mentio de Aeterno Parente, ac magno Christo Domino, nulla vero Spiritus sancti: Tanto rigore exercebitur ultimum iudicium adversus impios, ut nulla erga eos Deiamoris umbra apparitura videatur. Ait Regius Vates. Psalm. 75. num. 8. Tu terribilis es: & quis resistet tibi ex tunc ira tua. Ubi de extremo iudicio est sermo, ut patet sequenti versione: De caelo audivimus fecisti iudicium. Quod etiam notavit Cassiodorus Illud tamen maxime est: ex tunc ira tua. Et ipso iudicio finali ostensa, & declarata est ira Dei: nonne haec maxime manifestata est in submersione totius mundi? Nonne haec manifestata est, quando Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrhiam ignem, & sulphur? Nonne haec manifestata est, immissa pestilentia in Israel, in qua per medium diem ceciderunt septuaginta millia virorum: Cur ergo ait: Ex tunc in iudicio ira tua? Vult dicere; quod saepe Deus irae, ac iustitiae specimen dedit; sed ex tunc in tantum se ipsum excedet, ut dicere quasi valeamus; Ex tunc ira tua: quasi ad tunc non ostenderit Deus ira suam. Nam antea iram manifestavit, commixtam tamen misericordia, ut in universali diluvio generis humani, octo animae salvae factae sunt 1. Petr. 3. n. 4. In universali incendio civitatum Sodomae, Loth cum familia sua liberatus est, & ob ejus preces Segor salvata est. Genes. 19. num. 23. Quod etiam visum est in illa magna pestilentia Israel; quam dum esset designata in tres dies, Dominus ob suam misericordiam ad medium diem abbreviavit 1. Reg. 2. Reg. 24. cap. 24. num. 16. Ait in extremo iudicio, nil pietatis, ac misericordiae apparebit; sed undique furor, ac indignatio; & ideo per Antonomastiam dies irae, ac furoris Domini dicitur. Cassiodorus: Ex tunc dicit, ait, tempore iudicii, qui etiam dies irae, & furoris dicitur.

De hoc extremo die agens Isaias 13. num. 9. ait: Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus; & ira, furorisque. Cur crudelem diem domini dicit Propheta, a quo crudelitas, & saevitia abest? cur indignationis, & furoris plenus, qui nihil nisi cum summa aequitate operatur. Cur tot epitheta exaggerationis irae Dei proponuntur? ut denoteretur, quod tam terribilis futura sit illa dies, ut nullo modo possit, satis exprimi. Divus Alredus sermone 9. in cap. 13. Isaias: Commemoratur hic, ait, quatuor quaedam manifesta sane illius futurae calamitatis indicia; crudelitas, indignatio, ira, & furor; crudelitas est, quando ira modum excedit: indignatio, quando persona alicujus, qui facit injuriam, certa aliqua vitia innotescit: ira solet apparere in voce, vel vultu: furor in actibus. Dies itaque illa, crudelis erit, quia in ea maxima crudelitatis species apparebit, quando elementa ignis calore solentur; Plenus erit indignationis, quando divinae majestatis, & hominis innotescet infirmitas, manifestumque erit omnibus, quomodo adversus tantam potestatem, tanta saevierit infirmitas. Erat plenus ira: quando vox illa terribilis audietur: Discedite a me maligni in ignem aeternum: quanto rofesto sententiam... iudicis furorem sequitur tribulatio: quando omnibus illis in combustionem aeternam, nulla erit effugiendi facultas & nulla spes evadendi.

N n 2 Maximè

300. In illa die nullus locus pietati datur.

Maximè in rem nostram expende illud : Dies indignationis plenus, & ira furorisque; quod plenum est non dat locum alteri rei; sic ille defert plenus indignationis, iræ, & furoris, ut nullus detur locus misericordiae; ac pietatis. Videtur cap. 1. q. 48. n. 3. 69.

QUÆSTIO XXXV.

Quare miseri homines non dicunt montibus, & cavernis: abscondite nos à sententia, ac pœna infligenda; sed à facie Dei irati?

301. At Text. Dicunt montibus; cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni. O quam terribilis erit aspectus, ac facies Dei irati pro quo optimè advertit D. Petrus Chrytologus serm. 33. quod Ionas cap. 1. n. Et iterum n. 01. Non ait fugio Deum; sed à facie Dei ego fugio ac si ipsa facies Dei irati magis timenda sit, quàm eius sententia, ejusque omnipotentia. à qua innumerabilia supplicia, ac tormenta infligi possunt.

302. Divus Ambrosius in commentar. ad hæc nostra verba: Montibus: cadite super nos, & abscondite nos, &c. Sic ait, Scientes, post mortem se inferni penas esse passuros, cupiebant, ut montibus, sub quibus delitecebant, opprimerentur, & absconderentur à facie Dei, & à facie Christi eius. Verba illa text. Montibus: cadite super nos: à miseris reprobis dicta intelligunt; æternis suppliciiis mancipatis; qui sic dattrahant, in conspectum Dei irati venire, ut eligant potius, in tenebris inferni cavernis sepeliri; & ideo exoptant, à montibus opprimi, quo eventu concludendi erant in inferno. Ecce quanta pœna est, videte faciem Dei irati, respectu æterni ignis; leves ei fiant æternæ flammæ, comparatione facta cum dolore, à conspectu Dei irati proveniente.

303. Valde diversimodè ad Dei conspectum se habent justis, & Dammati in extremo iudicio; Justis loquens Divus Paulus, ait, 1. ad Thessal. 4. num. 16. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiuntur cum illis in nubibus, obviam Christo in aëre. Justis rapiuntur cum Christo in nubibus, At miseri reprobi, audita damnationis sententia, ait Text. Matth. 25. n. 46. Ibum hi in supplicium æternum. Ponderandum maximè ad rem præsentem illud, Ibum. Ibum quidem damnati ad pœnam æternam; non rapiuntur, non vi-compelluntur, sed tanquam sponte ibunt pedibus suis, Quis reus ultro vadit ad supplicium, & non violenter rapitur; ad delicias currit ani-

D. Chryl. Ioan. 1. Facies Dei irati maxime timenda.

Durissimum tormentum damnatis facies Dei iudicatur.

2. Theff.

mus, à pœnis vero fugit. Quid est, quod justis rapiuntur in nubibus obviam Christo; Dammati vero sponte ad infernalem ignem pedibus suis vadunt? Justis rapiuntur in nubibus obviam Christo; tanquam optimi servi, qui ad apparatus exeunt obviam regi ingredienti, ut explicant Divus Ch. ystomus, Theodoretus, Theophylactus, & alii; hic postulat Christi majestatem, amorem eorum in Christum, eorumque affectus ad ejus præsentiam; & inde amor addit alas. At reprobi ibunt, tanquam sponte, ad supplicium æternum, ut fugiant à facie Dei irati, Ipse enim iudicis vultus, Agni que facies, minitans ira, fulgurans ignes, fulminans incendia, ipsis feralibus flammis acrior, acerbior apparebit, ita ut ipsi potius eligant, tartarea tormenta, quàm talem præsentiam ferre. Ne dicas, quod D. Matth. citato loco ait: Ibum hi scilicet damnati, in supplicium æternum; justis autem in vitam æternam. Respondeo, quod justis valde sponte ibunt in vitam æternam, ut Dei præsentia fruantur; Dammati etiam aliquantisper sponte ibunt in supplicium æternum, ut à facie Dei irati fugiant.

304. At Regius Vates Psalm. 37. num. 4. Non est sanita in carne mea à facie ira tua. Acute ponderavit Origenes, non ait, non est sanitas ab ira tua; sed à facie ira tua, Et cur à facie & non potius ab ipsa ira? sic conspectus Dei irati totum hominem conturbat, ac terret, ut jam non relinquatur locus alteri plagæ infligendæ; sic enim conspectus Dei irati hominem concutit, torquet, & angit, ut jam secundæ plagæ negetur locus; quæ enim alia plaga potest estimari, ubi irati Dei facies cernitur? Origenes homil. 1. in Psalm. 37. Potuit dicere, ab ira tua, sed nunc ait, à facie ira tua. Quoniam quidem sola facies ira tua, id est consideratio, sa indignationis, ita me perturbavit & convertit, ut ira tua jam in me locus esse non debeat. Ipsa consideratio divinæ faciei iratæ, ut jam nihil acerbius valeat homo pati.

305. Ad hoc spectat id, quod testatur Zacharias cap. 12. num. 20. Et aspicient ad me, quem confixerunt; & planctu plangent. Quæ verba multi, & gravissimi Auctores ad e remum diem iudicii referunt, ut Lyran. Iansen. & alii; maximè notandum; aspicient ad me, & plangent planctu, Repetitur dicitur ad majorem exaggerationem; & non plangent ob sententiam prolatam à Iudice: Ite in ignem æternum: sed quia aspicient eum: Rupert lib 5. ibi: Planctus, ait, alterius magnitudo, quantumcumque fuerit, nihil erit ad magnitudinem planctus futuri; quando ille, quam confixerunt, aspiciendus apparebit. Equidem intolerabilis dolor & confusio erit, quod captivus, & abjectus veniat in conspectum tantæ majestatis à te ingratiſſimè despectæ, & lætæ. Vide supra cap. 14. n. 627.

D. Chryl. Theoph. Terribilior damnatis Christi vultus, iratus quàm gehennæ flamma.

D. Matt. 15.

304. Psalm. 37.

Facies Dei irati maxime torquet, & conturbat hominem. Origenes.

305. A facie Dei irati planctus magnus. Rupertus.



CAPUT SEPTIMUM.

OC caput, pars est superioris capitis, simulque sigilli sexti, & veluti præambulum ad sigillum septimum; ostensioque pro iniquis infelicissimo exitu, cum ipso mundo, quem diligunt, & inde ostenditur augustissimus exitus Justorum; signanturque ipsi, ne plagis impiorum involvantur, duodecim nempe millia ex singulis tribubus Israël; post hæc videt Ioannes innumeram turbam ex omnibus gentibus, stantem ante Dei thronum, cum stolis albis, & palmis, Deum laudantem, & que gratias referentem.

Apoc. 7. n. 1. Et post hæc vidi quatuor Angelos, stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem.

ac coercerent ventos, ut decretum erat, ne vehementiori impetu flarent, & tempestates moverent, priusquam electi signarentur, ut à talibus cladibus per ventos procreandis subtraherentur; ut olim in Ægypto subtraherentur domus Hebræorum signata sanguine Agni.

QUÆSTIO I.

Quinam sint isti quatuor Angeli?

Arabicus. Stantes in quatuor angulis terræ, qui tenuerunt quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super terram, neque in mare, neque super ullam arborem. Syrus. Ut non flaret ventus, neque supra arbores.

Primò, Aureolus, & Lyranus, tenent, quod isti quatuor Angeli, sint quatuor Tyranni, tempore Constantini regnantes; scilicet Maximianus in Oriente; Severus in Italia, Licinus in Ægypto, Maxentius Roma, qui tenuerunt ventos, id est, Doctores, ac Prædicatores, ne fidei doctrinam super terram disseminarent; & de hæc sententia iterum erit sermo quæst. 3. & hac sententia, quamvis ad mores possit sustineri, in eo quod regna, ac imperia mundi comparat ventis: quia regna mundi facile, ac brevi transeunt, & tanquam venti nullum post se vestigium relinquunt. Tamen secundum litteram, non est vera: nam si in ullo exemplo Scriptura nomen Angeli tyrannicis accommodat.

Secundò, Ambrosius, Primasius, Beda, Anselmus & Ansbertus, accommodat quatuor Angelos Romano imperio, quod tenebat quatuor ventos, id est, quatuor mundi plagis imperabat, Orienti, Occidenti, Septentrioni, & Austro, & revera quatuor partes orbis per quatuor Cardinales ventos designantur. Ezechiel. 37. numero 3. dicitur: A quatuor ventis veniat spiritus: Et Dominus. Matth. 24. numero 31. Et mittet Angelos suos, qui congregabunt electos eius à quatuor ventis. Sed contra hanc interpretationem facit: quia Angeli tenentes quatuor ventos, erant quatuor: Imperium autem Romanum, erat unum.

EXPOSITIO I.

OST hæc Post horrenda nempe illa, quæ visa sunt, aperto sexto sigillo, in fine superioris cap. signa nempe in Sole, Luna, & Stellis, ac in terra, quæ prætedebant impiis extremis supplicia. Vidi, ait Ioannes, in eodem sigillo ea etiam quæ spectant ad justos, ac proinde: Vidi quatuor Angelos, bonos, & Dei ministros. Stantes super quatuor angulos terræ. Seu Extremitates, seu plagas orbis. Tenentes quatuor ventos terræ; stabant Angeli; tanquam præfides ventorum, & tenebant, seu continebant eorum ab Oriente, Zephyrum ab Occidente, Austrum à Meridie, Aquilonem à Septentrione, sub quibus etiam alii intermedii venti intelliguntur; & continebant, ut in Apocalypsim. Tom. 1.

Exod. 12.

Aureol. Lyran.

Vicqas.

Regna mundi brevi transeunt.

Romanum imperium. Ezech. 37. Matth. 24.